



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Sacra Veterum Temporum Uti Et Evangelica, Ac
Apostolica Historia**

Steinhart, Franz

Ingolstadii, 1734

VD18 90104692

Ajalon, Judex.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62332](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62332)

debant, quòd neglecti neque ad bellum contra Ammonitas vocati essent; reverà autem gloriæ Jephte invidabant. At commissò prælio magnà clade superbia eorum castigata est. Qui supererant, sparsim ad Jordanis vada fugientes à Galaaditis intercepti sunt: à quibus ut transitum impetrarent, Ephraimitas se esse negarunt. At facilè fuit eos dignoscere. Jussi sunt enim dicere *Schiboiech*; quod cum non possent, sed Ephraimitarum more mitiùs eam vocem pronuntiarent, dicerentque *Siboiech*, jugulati, ac in profluentem injecti sunt. Itaque tum in prælium ad vada Jordanis ad 42. millia eorum perierunt. Porro devictis Ammonitis & seditiosis Ephraimitis severè castigatis, Philistæis autem sociorum clade deterritis ac quiescentibus Jephte deinceps populum quietè gubernavit.

Abesan, Judex.

Ab An. 2823.

Israëlita sunt
tributarii 40.
annis. c. 12.
à v. 8.

Mortuò post gestum sex annos Magistratum Jephte eligitur Abesan Bethleemita de Tribu Juda, qui Israëlì septem annis præfuit. Sexto gubernationis annò, cum filii Israël rursus fecissent malum in conspectu Domini, tradidit eos in manus Philistinorum quadraginta annis; quæ tamen servitus non apparet fuisse cruenta, sed solà ferè pecuniarum contributione consistens; quibus contenti Philistæi suo illos more arbitriòque vivere permittebant.

Ajalon, Judex.

Ab An. 2830.

Ajalon solvit
tributum &
pacem habet.
c. 12. v. 11.
& 12.

Ajalon de Tribu Zabulon decem annis Israëlitas judicavit, pacemque habuit pendendo Philistæis tributum, quod decessor ejus inchoaverat.

Abdon, Judex.

Ab An. 2840.

Et iste tributum
pendit.
c. 12. à v. 13.

Post Ajalonem Abdon electus est de Tribu Ephraim Pater 40. filiorum, quos ex pluribus uxoribus, sicut illa ferebant tempora, suscepit. Pacem & ipse habuit, quia tributum pependit.

Sam-